

propter hoc acquirit ius in re; ergo quia papa scripsit, quod sit superior imperatore, non propter hoc^{a)} sequitur, quod ita sit.

In contrarium est, quod^{b)} papa imperatorem coronat cum pede, quod est signum precipue subiectionis¹²⁾. Circa istam questionem est sciendum^{c)}, quod papa est superior imperatore simpliciter et absolute et per omnem modum et formatur talis ratio: omnis¹³⁾ perfectio reperta in effectu^{d)} eminentius et perfectius continetur in causa, quia nichil dat, quod non habet. Omnis autem causa dat «suo» effectui^{e)}, secundum quod huiusmodi^{f)}, omnem perfectionem, que est in ipso; sed omnis potestas temporalis sive imperatorum sive regum se habet ad plenariam potestatem pape sicut effectus ad causam^{g)}, quia per papam instituuntur et destituuntur; ergo potestas temporalis est quidam effectus potestatis spiritualis¹³⁾; ergo omne regnum et imperium est in summo pontifice excellentiori modo quam in imperatore vel rege. Unde dicitur^{h)} in decretisⁱ⁾ di. xxii.¹⁴⁾, quod Christus beato Petro eterne vite clavigero terreni simul et celestis imperii iura^{k)} concessit; quere supra capitulo CCCL et capitulo CCCLIII¹⁵⁾. Secunda ratio est talis: ille qui prestat sacramentum fidelitatis^{l)}, quale servi fatiunt dominis suis, ipse est servus eius; sed imperator prestat sacramentum fidelitatis summo pontifici, sicut habetur supra capitulo CCCLVII et capitulo CCCLVIII et capitulo CCCLVIII¹⁶⁾; ergo imperator est servus et subiectus^{m)} summi pontificis. Unde diciturⁿ⁾ de^{o)} iureiurando. *Romani* in^{p)} Constitutionibus clementinis¹⁷⁾, quod Henricus imperator Romanorum^{q)} rex et Robertus rex Sicilie sunt specialissimi filii ecclesie eo, quod iuramento fidelitatis sunt ecclesie astricti; ad hoc, ut sint ecclesie promptissimi defensores; sed rex Robertus est homo lygius ecclesie¹⁸⁾, ergo et imperator. Tertia ratio est talis: ille est superior altero, qui potest ipsum instituere in aliquo et destituere, quia isti sunt actus perfecti domini¹⁹⁾; sed papa destituit Leonem de imperio constantinopolitano et pro solo libitu tradidit illud Karulo magno; ergo est superior imperatore; quere supra capitulo CCCLVI²⁰⁾. Unde dicitur Extra. de electione et electi potestate. «*Venerabilem*»²¹⁾ et in Constitutionibus clementinis²²⁾, quod papa transtulit imperium de Grecis ad Germanos in persona magnifici Karuli, et quod ius elligendi regem Alemanie ab ecclesia pervenit ad principes Alamanie, qui postmodum erit promovendus ad imperium. Unde in Ystoria gallicana²³⁾ dicitur, quod Zacharias papa Pipinum nanum instituit regem^{r)} Franchorum et omnes barones Alamanie benedicens obtestatus est, quod numquam regem super se assumant^{s)}, nisi quem^{t)} divina providentia et sumus pontifex ad tuendam sedem apostolicam elligere dignatus fuerit. Ex hoc clare probatur, quod electio^{u)} regis Alemanie dependet a summo pontifice. Quarta ratio talis est: totum ius persone electe dependet a confirmatore^{x)} non ab electoribus, sicut videmus quod electus unanimiter in archiepiscopum mediolanensem vel in archidiaconum «sine confirmatione» non est archiepiscopus

a) propterea O b) quia O

c) est sciendum] dicendum est O d) effectum A e) effectum AO

f) huius AO g) causas O h) habetur O i) decreto O k) curam O

l) om. A m) subdictus O n) dicit A; extra add. A o) om. A

p) om. A q) om. O r) Alemanie add. A s) sūmant A t) quam A

u) electis O x) confirmatione A

¹²⁾ Vgl. *Petrus de Palude*, Tract. 260, 24 f. und GA cap. 108 Anm. 11. ¹³⁾ omnis — spiritualis vgl. *Johannes Regina von Neapel*, Quaestio 39 S. 338 a A. ¹⁴⁾ D. 22 c. 1. ¹⁵⁾ In A cap. 347 und 350. ¹⁶⁾ In A cap. 354—356. ¹⁷⁾ Clem. 2. 9 c. un.

¹⁸⁾ Vgl. Clem. 2. 11. 2. ¹⁹⁾ Vgl. GA cap. 108 Anm. 2. ²⁰⁾ In A cap. 353. ²¹⁾ X. 1. 6. 34. ²²⁾ Clem. 2. 9 c. un. ²³⁾ Vgl. GA cap. 195 Anm. 2 und MF cap. 116 (Muratori¹ 11, 598 f.).